

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0702

0700

0706

0696

0711

0691

0751

0651


0801

0601

0201

Ende

Anfang



129

configit hoc, quod sibi placet, et innumeros fatuitates componunt.

Stetimus ergo sub lapide praedicto et tam Machometi insanias quam prophetae sui casum satis derisimus, et ita a muro descendimus et in civitatem Judaeorum venimus, quae est in clivo super vallem Josaphat, in quo Judaeum, qui nos ducebat, derisimus, dicentes sibi, quod prudenter Judaei suam civitatem in loco iudicii locaverint, ut sine fatiga veniendi resurgant, in perpetuum damnandi. De illo coemeterico ad communem viam descendimus, per quam ad montem Syon adscendimus ad loca nostra. Ingressi autem hospitium dominorum peregrinorum invitaverunt domini milites me et duos patres minores, et duos Judaeos et unum Sarracenum et unum Mamaluccum ad coenam, et habuimus simul laetam coenam, quamvis diversi essemus fide et moribus. Propter huiusmodi autem communicationes cum infidelibus necesse est habere licentiam domini Papae, dum quis vult Jerosolymam peregrinari.

Quinta die, quae est gloriosa patris nostri S. Dominici, patriarchae fratrum Praedicatorum, Officio et prandio finito venit Sabathytanco, Calinus major, et exegit a quolibet peregrino quinque ducatos in defalcationem conscripti pretii, dicens, se non habere in promptu tantum, ut dispositionem facere inciperet pro nostra per desertum ductione. Ne ergo in posterum diceret, nos fuisse causam tantae tardationis, tradidimus sibi pecuniam, quilibet V ducatos. Qui accepto auro factus fuit hilarior et promisit nobis, quod omnia, quae ab eo peteremus, adimplere vellet, si posset. Petimus ergo eum, ut nos introduci faceret in locum nativitatis beatissimae Mariae Virginis, in quo nondum fuimus. Qui respondit: rem difficilem, o domini peregrini, postulastis, quia non potestis in habitaculum nativitatis Mariae Virginis ingredi, nisi per muscheam unam Sarracenis devotam, in quam vos intrare fas non est, nec ullo pacto videntibus Sarracenis vos introducere ausus sim, ideo oportet exspectare tempus vespertinum, et tunc mittam vobis Abre, filium meum, et per vicos occultos vos ducet ad locum, et disponam, ut intromittamini. Ego vero cum dominis consulibus ero, occasionem retinendi vos simul quaerens, ne vos notent illum quem petitis

9